

- 386 In quibus possit dispensare Sacra Penitentia.
- 387 Formula petendi dispensationem a S. Penitentia.
- 388 Formula petendi dispensationem apud ipsum Summum Pontificem.
- 389 An etiam Regulares Mendicantes dispensare possint in impedimento matrimonii?
- 390 Regulares Mendicantes possunt dispensare in impedimento affinitatis post matrimonium contractum, si impedimentum sit occultum.
- 391 Hoc Privilegio non est utendum, nisi in gravi necessitate, & cum certis cautelis.
- 392 Regulares Mendicantes nequeunt in aliis impedimentis dispensare.
- 393 Modus exequendi dispensationes.
- 394 Formula litterarum dispensationis super impedimento affinitatis, item super voto castitatis.
- 395 Declaratio clausularum in litteris S. Penitentiarie contentarum.
- 396 An Regulares Mendicantes possint exequi litteras S. Penitentiarie, si non sint Magistri, vel Doctores Theologie, vel Juris Canonici?
- 397 Quid dicendum de Licentia in Theologia?
- 398 An quilibet Confessarius possit exequi litteras Sacrae Penitentiarie?
- 399 Seq. sequitur declaratio reliquarum clausularum.
- 414 & 415 Declaratio clausularum in altera formula dispensationis in voto castitatis contentarum.
- 416 Formulæ dispensandi à confessario adhibendæ, dum actus dispensat.

ASSERTIO III.

346 Dispensatio est relaxatio legis pro aliquo casu, vel persona, vel pluribus, facta ab habente legitimam potestatem, manente vigore legis ex parte materie. Ad eius valorem requiritur. I. Ut fiat ab habente legitimam dispensandi potestatem. II. Ut fiat circa subditum. III. Ut ad sit iusta causa. IV. Ut non sit obreptitia, vel subreptitia. Est communissima Doctorum.

§. I. Ad valorem dispensationis requiritur, ut fiat ab habente legitimam dispensandi potestatem.

347 Dispensatio est relaxatio legis pro aliquo, vel pluribus, facta ab habente legitimam potestatem, manente vigore legis ex parte materie; est in re communissima. Dicitur I. relaxatio legis; quia formalis effectus ipsius est, eximere subditum ab obligatione legis. Dicitur II. pro aliquo, vel pluribus; quia si sit pro omni casu, & persona, non erit dispensatio, sed abrogatio legis. III. ab habente legitimam potestatem; quia est actus jurisdictionis, ex quo distinguitur ab interpretatione, & Epikia. IV. Manente vigore legis ex parte materie; hoc quippe sublato, & mutata materia, legis obligatio non amplius ad illum casum extenditur, vel per Epikiam ad illum se non extendere declarat.

348 Dari potestatem iuste, & licite dispensandi in lege humana, supponunt omnes cum D. Thom. quest. 97. art. 4. & demonstrat praxis quotidiana. Insuper suadet ratio: Nam datur potestas legem totam abrogandi quoad omnes; ergo etiam eandem remittendi quoad aliquos. Siquidem varietate dicitur possunt rationabiles causæ, unum alterumve à generali legis vinculo eximendi: ut, aliqua legem servandi difficultas, non tamen adeo magna, & evidens; ut quis per ipsum Epikiam uti possit; vel dignitas personæ ejusve erga Republicam merita, & obsequia, quorum intuitu æquum est eandem à communibus oneribus eximi, ut habetur in cap. multa de præbendis. His notatis

349 I. Potestas ordinaria dispensandi est penes omnes Superiores, qui habent jurisdictionem ordinariam in foro externo: ut sunt Papa, Episcopi confirmati, Principes sæculares, Prælati regularium, eorumque Vicarii in absentia item Vicarius Generalis Episcopi &c. secus est regulariter de Archiepiscopis, seu Vicariis foraneis. Dispensatio enim est actus fori externi. Deinde illius est solvere, cuius est ligare. Ita P. Herincx de legib. disp. 4. quest. 2. num. 19. Unde Parochis, & Confessariis non competit iure ordinario potestas dispensandi; cum careant jurisdictione in foro externo. Quamquam ex speciali privilegio competat Confessariis Mendicantium ampla in votis dispensandi sæcularibus, aut illa commutandi delegata potestas, similiter Parochi solent ex consuetudine dispensare in casibus particularibus frequentibus circa præcepta jejunii, & festorum quoad vacationem ab operibus servilibus: quæ consuetudo servari poterit quoad leges, circa quas est introducta, non autem extendi ad alias, quia est juri contraria, ut ait Suarez lib. 6. de legib. cap. 14. in fine.

Porrò facultas dispensandi potest delegari ab iis, quibus iure ordinario illa competit; ut patet ex praxi Ecclesiæ. Fit verò hæc delegatio per signum aliquod externum declarativum voluntatis Superioris, quod licet ordinari sit Rescriptum, in foro tamen conscientie sufficit quodcumque aliud. Non possunt autem delegare, nisi qui habent potestatem ordinariam, aut quasi ordinariam, seu quodammodo æquivalentem; ut sunt imprimis delegati ad unificationem causarum; deinde quibus datur specialis commissio, seu facultas ad subdelegandum, juxta Doctrinam communiter in praxi receptam. Herincx cit. num. 20.

II. Potest quisque iure ordinario dispensare in lege à se lata; idemque potest Successor, aut in jurisdictione Superiori, quemadmodum hi possunt iure ordinario abrogare totam legem: Ratio est: quia illius est solvere, cuius est ligare, adeoque etiam in jurisdictione Successoris, aut Superioris. Dicitur est: in jurisdictione Superiori: quia Archi-Episcopi, & Primates non possunt dispensare cum subditis suorum suffraganeorum, seu Episcoporum Comprovincialium in eorumdem, aut quibuscumque legibus, quia non sunt Episcoporum Superiores in jurisdictione, sed tantum per viam appellationis, & in quadam dignitate, cui pauci actus jurisdictionis iure expressi annectuntur. Ex quo sequitur, Papam posse dispensare in toto Jure Canonico, quatenus concernit mores, & quatenus est Ecclesiastica potestas, est lex ordinata foret à Conciliis Generalibus, aut ab Apostolis. Est enim Concilium Superior, Petro, cui succedit, potestate æqualis, cæteris similiter Apostolis Superior, est in gratiis, gratis datis, & munere Apostolatus sit eisdem inferior. Idem est de Episcopo respectu constitutionum Synodi Diocesanae. Herincx cit. num. 21.

III. Prælati inferiores non possunt ordinari in lege Superioris dispensare, est dispensatio non reservetur expressè per Superiorem. Est communior, & probabilior Doctorum contra S. Antoninum, Covarrvias, & plures alios, quos refert Barbosa 2. part. de potest. Episcop. allegat. 33. nu. 17. Quorum sententiam probabilem vari nostræ sententiæ Patroni reputant. Colligitur ex Clement. ne Romani, de elect. & ratio est: quia dispensatio est actus jurisdictionis; inferior autem non habet jurisdictionem in legem Superioris, nisi quatenus ei positive conceditur. Deinde non potest inferior tollere voluntatem Superioris, nisi de ipsius consensu. Tollitur autem voluntas Superioris partialiter per dispensationem, sicut totaliter per abrogationem, quam idcirco inferior certum est non competere extra speciale commissionem. Nec obstat cap. nuper, de sent. excomm. ubi dicitur, eo ipso, quod excommunicatio non reservatur, concedi illius absolutionem inferiori: ergo idem est de dispensatione: Negatur enim consequentia, dispensatio est: quia Superior expressè concedit potestatem absolvendi ab excommunicatione, quæ specialiter non reservatur: nullibi autem expressè concedit inferioribus generalem potestatem dispensandi in quibuscumque legibus, quando dispensationem ipse specialiter sibi non reservat; in iure autem positivo non licet argumentari à paritate rationis. Deinde absolutio ab excommunicatione est secundum jus, quando præcipue dispositum absolvi, & ordinatur ad bonum animæ, ideoque conveniebat facilius concedi, quam dispensationem in lege.

Ex quo inferitur; Episcopus non potest communiter dispensare in legibus Pontificiis, & Conciliorum Generalium. Possunt tamen in certis casibus. I. Quando jus concedit, est tantum impersonaliter seu indefinitè, ut possit dispensari: nam ordinariè intelligitur, quod possit hoc fieri ab Episcopis: tum quia favor est ampliandus: tum quia superflue hoc adderetur in ordine ad Papam. II. Quando materia videtur parva, aut leviter obligans; non enim est præsumendum, Papam velle obligare, ut pro re levi ad Sedem Apostolicam accedatur; quod sane nimis etiam onerosum foret. Ita passim Doctores. III. Quando frequens occurrit necessitas, possunt Episcopi dispensare; saltem ex consuetudine, & quia moraliter id requiritur ad bonam gubernationem, ne gravia sequantur incommoda, si casibus sæpe occurrentibus nequeat obviari, nisi per Sedem Apostolicam: ut in jejuniis, festis, horis legendis &c. Quare censetur Papa illam potestatem concessisse. IV. Potest Episcopus dispensare, quando gravis occurrit necessitas, & est periculum in mora, & ad Papam difficulter recurri potest; hæc enim videtur rationabilis interpretatio mentis Pontificiæ, quam Pontifice sciente Doctores, hoc præsertim tempore communiter adhibent, ut Sanchez lib. 2. de Matrimon. disp. 40. num. 3. lib. 8. disp. 9. num. 22. Azorius, Præpositus quest. 97. dub. 3. numer. 22. Navarrus cap. 22. num. 85. Coninch. tom. 2. disp. 33. dub. 3. Layman de Legibus cap. 22. & apud ipsum Suarez, Lessius, Syl-

Sylvester, item Herincx de Leg. disp. 4. q. 2. n. 25. Reiffenstuel tit. 2. de Constit. n. 470. & apud ipsum Barbosa, Pirrhing, Castro-Palaus, Diana, & alii plures. Nec tenentur Episcopi suis sumptibus procurare dispensationem Pontificiam; id enim esset nimis grave, nec consonat praxi. Unde stante gravi necessitate, & periculo in mora, si recurreret ad Papam, possunt Episcopi tam ante, quam post contractum matrimonium dispensare pro foro conscientie in impedimentis occultis matrimonii. Excipit Præpositus supra, quando adiri potest alius habens facultatem delegatam; prout habent interdum Nuntii: tunc enim cessat necessitas respectu Episcopi. V. Possunt dispensare Episcopi in casibus dubiis, de quibus dubitatur, an indigeant dispensatione, ex c. cum desideres, de excomm. Verum si probabiliter judicetur, casum non indigere dispensatione, non est necessariò adhibenda; est consultum sit ad majorem cautelam. Si verò sit propriè dictum dubium, censet Bonacina habere praxim, ut obtineatur dispensatio Pontificia, ne quis exponatur periculo transgressionis Legis. Attamen mihi (inquit Herincx cit. num. 26.) probabile videtur tali casu, utpotè quo de Lege non constat, posse judicari pro libertate, adeoque dispensationem non requiri. Et admisso, quod requiritur, censet probabiliter varii Auctores (inter quos est Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 10. numer. 74. c. 40. n. 26. Layman cit. n. 4. Barbosa parte 2. de offic. Episc. potest. Episc. Allegat. 35. Diana, Sa, Reiffenstuel cit. num. 474. & alii) sufficere Episcopalem; cum Pontifici videantur reservari solum casus certi, & potestas dispensandi sit late interpretanda. VI. Possunt dispensare Episcopi, quando potestatem dispensandi in Lege Pontificia habent ex Privilegio non revocato (tunc enim patet de voluntate concedentis) vel ex consuetudine legitime præscripta; hæc namque Jurisdictionem confert juxta c. cum contingat, de foro compet.

IV. Prælati Regularium exemptorum possunt cum suis subditis dispensare in Legibus Pontificiis in iisdem, in quibus possunt Episcopi cum suis: quandoquidem in illis, quæ sunt merè Jurisdictionis, gaudent potestate Episcopali respectu suorum subditorum. Ita Herincx cit. numer. 20. etque constants Theologorum Doctrina teste nostro P. Gaudenzio Kerckhove in statut. Gener. cap. 8. §. 11. num. 3. Noster tamen Minister Generalis non potest aliter dispensare in statutis Capituli Generalis, quam quatenus illi à Capitulo est concessum sive expressè, sive tacite, & ex usu (Idem dicendum de Episcopis, imò Archi-Episcopis, & Primatibus respectu statutorum Concilii Provincialis) ratio est: quia Generales Religionum sunt ipso Capitulo Generali inferiores, ut generatim tradit Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 8. num. 8. & alii expressè de Religione nostra id tenet Corduba, & alii expositores Regulæ nostræ. Ita P. Kerckhove cit. num. 4. Ministri verò Provinciales in nostris statutis Generalibus dispensare omnino non possunt, nisi in casibus, qui expressè Ministris Provincialibus sunt commissi: quia, ut sæpe dictum, nullus inferior in Lege sui Superioris dispensare potest, nisi in quantum id ei à Superiore conceditur. Sic etiam Ministri Provinciales in statutis Provincialibus per se loquendo dispensare non possunt, nisi in quantum id eis expressè, tacite, vel ex usu à Capitulo Provinciali permittitur, ob rationem supradictam, quod nemo in Lege sui Superioris dispensare possit, nisi in quantum id ei à Superiore permittitur; atqui Provinciales sunt ipso Capitulo Provinciali inferiores: ergo &c. In casibus tamen levibus, & quibusdam minoribus observantiis, ac frequenter occurrentibus possunt Provinciales dispensare, etiam in statutis Generalibus, prout juxta supra dicta Episcopi dispensare possunt quandoque in Legibus Pontificiis; eo quod præsumatur, Generales Superiores non velle adstringere subditos, ut pro similibus ad eos recurratur; id enim Superioribus Generalibus, sicut etiam summo Pontifici nimis onerosum foret, & bonæ gubernationi repugnaret. Ita Herincx cit. num. 28. Kerckhove cit. n. 8. & alii passim.

Qualiter autem Superiores nostri Ordinis Seraphici dispensare possint in præceptis Regulæ nostræ Seraphicæ, videatur & sedulo legatur supra citatus noster P. Kerckhove in statut. Gener. c. 1. §. 15.

§. II. Ad valorem dispensationis requiritur, ut fiat circa subditum.

355 Ratio est: Quia dispensare, seu eximere ab obligatione Legis non minùs est actus Jurisdictionis, quam concedere Legem, seu per inductam Legem imponere obligationem, atqui non nisi subdito potest imponi Legis obligatio: ergo etiam non nisi à subdito potest tolli, seu relaxari Legis obli-

gatio; adeoque ut dispensatio Legis sit valida, debet fieri, & exerceri circa subditum. Hinc

I. Potest Summus Pontifex dispensare cum omnibus fidelibus totius mundi, cum omnes sint ipsius subditi: Episcopi verò, quoad casus supradictos, dispensare possunt cum suis Diocesanis; Prælati Regulares exempti cum suis Religiosis; Parochi cum suis Parochianis. Imò potest dispensatio concedi subdito, etiam extra territorium concedentis existenti; sola enim contentiosa Jurisdictio restringitur intra territorium. Idem habet praxis, & sensus communis, teste Herincx de Leg. disp. 4. q. 2. nu. 29. Confirmatur: quia potest subditus dispensationem extra territorium executioni mandare: ergo, & ipsa potest extra territorium concedi. Attendendum tamen est, ut si dispensatio certam rem afficiat, concedatur ab illo Superiore, in cujus territorio res est sita, ratione cujus alter extra territorium existens censetur subditus illius: Sic dispensationem in Residencia Salisburgensi debet obtinere Beneficiarius alibi habitans ab Ordinario Salisburgensi.

Sed difficultas est, an Ordinarius loci possit cum forensibus, seu peregrinis, & vagis in suo Territorio existentibus, sicut cum subditis, dispensare in Legibus, votis, & juramentis.

Quantum ad Vagos, qui nimirum nullibi habent domicilium, attinet, potest Superior loci, in quo morantur cum eis dispensare in Legibus communibus, votis, & juramentis. Ita Paulus Mezger disp. 36. art. 4. num. 13. P. Claudius la Croix lib. 1. num. 799. & apud ipsum Sanchez, Lessius, Castro-Palaus tom. 3. d. 6. p. 7. §. 2. Ratio est: tum, quia juxta probabilem multorum sententiam, Vagi per præsentaneam habitationem, forum non tantum conscientie, sed etiam externum sortiuntur in loco, ubi existunt, ideoque sunt subditi ibidem: ergo cum iisdem Superior loci illius dispensare poterit: Tum quia dispensatio est actus Jurisdictionis voluntariæ; ergo licet supra dixerimus, Vagos non teneri Legibus particularibus loci, quem transeunt; quia ad hoc requireretur, ut subicerentur Jurisdictioni contentiosæ illius, qui territorio præest: possunt nihilominus se se submittere ejus Jurisdictioni voluntariæ, sicque ab eo dispensationem impetrare in quibus aliàs etiam cum suis subditis dispensare valet.

Quantum verò ad Peregrinos, asserit Basilius Pontius apud Herincx cit. num. 30. Ordinarium loci posse cum iis in Legibus, votis, & juramentis dispensare, dum causa urget: eo quod mora etiam transitoria, sicut facit subditos esse forenses Legibus territorii, sic etiam facere debeat sufficienter subditos ad obtinendam dispensationem ab Ordinario territorii.

Contra Sylvester, Angelus, Barbosa, & alii necessarium ad hoc putant domicilium, & favent declarationes Cardinalium (quorum relatione audita, probasse id ipsum fert Gregorius XIII.) sententium forenses quidem posse à peccatis, & censuris absolvi, non posse tamen cum eis dispensari ab Ordinario loci, etiam in quo habitant, scilicet citra fixationem domicilii perpetui, ut referunt Garzias, & Farinacius apud Herincx cit. eo usque enim non sunt verè subditi.

Denique Sanchez, Rodriguez, Henriquez, Lessius, & alii censent, non requiri quidem strictum domicilium, sufficere tamen, & saltem requiri quasi domicilium, contractum per diurnam habitationem ver. gr. per majorem anni partem; eo quod per hoc fortiat quis forum externum, sic ut ibi de alibi gestis possit conveniri, ut ex diversis Juribus colligitur: adeoque etiam in rebus Spiritualibus, in ordine ad dispensationem, fortietur forum, cum utrobique par requiratur Jurisdictio. His opinionibus in sua probabilitate relictis:

II. Dicendum existimo cum Herincx cit. n. 31. posse Superiorem loci dispensare cum Peregrinis in legibus tam communi, quam municipali, ob eandem rationem, quæ supra adducta est quoad Vagos, nu. 357. Ac in votis, juramentis, & aliis specialibus impedimentis, cum Peregrinis Superior loci, in quo morantur, dispensare probabilis sequitur, ut notat Palao tract. 3. disp. 6. punct. 7. §. 2. numer. 4. Ratio est: quia obstant declarationes Cardinalium, quæ refert Garzia de Benefic. p. 11. cap. 10. numer. 139. requireres in ordine ad dispensationem, subjectionem titulo domicilii in dispensando, qualem subjectionem non habent Peregrini in ordine ad Superiorem loci, quem transeunt. Ita etiam docet Paulus Mezger citat. numer. 13. Addens: & licet Peregrini, ac forenses majori parte anni ibidem commorari decreverint, tamen Ordinarium non posse cum forensibus dispensare in votis, ver. gr. & juramentis, exinde videtur evinci, quia nec illos potest ordinare absque licentia proprii sui Ordinarii c. cum